

Etenuſ Cicero. Inde ſymbolum M. Aurelius Nume-  
rianus Caefar mutuatus eſt, in omni vita longe ſalu-  
berrimum: *eſto, quod audis.* Quod REVSNERVS a)  
ſententia propoſuit ligata:

*Si recte viuis, ſi curas eſſe, quod audis:*

*Virtus, virtutis non placet umbra mihi.*

Sed vetus, proh dolor! eſt illa peſſima ſimulandi con-  
ſuetudo. Ab exordio rerum, qui coelitem extruſus fe-  
lici confortio, generis humani infenſiſſimus hoſtis blan-  
da, ſuaui, ac ſemet inſinuante ſerpentis ſpecie illis quo-  
que noſtris parentibus, qui immaculatam prae ſe fe-  
rebant ſummi creatoris imaginem, triftis fuit cauſſa  
peccati, et omnium longa poſteritate in hunc uſque  
diem ſaeuiens lerna malorum. Quae quidem nefaria  
virtutum peſtis eo deuenit, vt mortales ipſos non ve-  
rerentur, ad decipiendam rudem plebeculam, menti-  
ri immortales Deos, ſuaque cum illis ſanctiora com-  
mercia. Ita certe cum imperiorum affectatores obſer-  
uarent, nulla re, quam ſuperſtitione, multitudinem  
regi efficacius: Minos, Piſiſtratus, Lycurgus, Zaleu-  
cus, Midas, Numa, Scipio Africanus, L. Sulla, Q.  
Sertorius, Muhamed, plures alii populorum principes,  
cum verendo Numine quodam ſe collocutos fuiſſe,  
finxerunt. Id vero genus hominum turpiſſimas imi-  
tantur meretriculas, quae ſordes ſuamque deformita-  
tatem emto et fucato conſueuerunt tegere vultu; vt  
iſtis, ad turbandum ignobile vulgus, ſanctimoniae lar-  
ua perplacet, illa certiffima animorum peſtis ἀθεότης.  
Longum foret, ſimulationum etiam triftiffima per  
omnes nationes, per omnia ſecula, quae, ad ſummum  
dedecus, vel imperantes, vel parentes peſſundarunt,  
exempla monſtrare digito.

Nos vero et omnes FRIDERICO, SVE-  
DORVM, GOTHORVM, ET VANDALORVM RE-  
GL

a) Claſſ. I. p. 177.